Quelle: http://manuscripta.at/?ID=957
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

cunctisque esset bonis plenus, si ad cognoscendam rei publice gerende scientiam animum intendisset, a qua prope alienus non modo voluntate, sed etiam exercitio fuit.

INCIPIT LIBER NONANVS

Anno ab urbe condita MCXXXVIII Theodosius genitus patre Theodosio, matre Thermantia, XL imperator, interfecto per Maximum Gratiano, imperium Romane urbis solus obtinuit mansitque in eo annis XI, cum in orientis partibus VI annis Gratiano vivente regnaret.

Theodosius. 2 Itaque tantis necessariisque causis ad bellum civile permotus, cum e duobus augustis fratribus unius interfecti ultionem, alterius restitutionem procuraret, sese adversum Maximum tirannum sola fide maior, nam longe minor universi apparatus bellici comparatione, proripuit. Aquileie tunc Maximus insederat, Andragatius comes eius summam belli amministrabat. Qui cum largissimis militum copiis astuto consilio omnes Alpium ac fluminum aditus communisset, dum navali expeditione incautum hostem prevenire parat et obruere, sponte eadem que obstruxerat claustra deseruit. Ita Theodosius nemine sentiente vacuas Alpes intravit atque Aquileiam improvisus adveniens magnum hostem Maximum ac trucem et ab immanissimis quoque Germanorum gentibus tributa ac stipendia solo terrore nominis exigentem sine contentione clausit, cepit, occidit. Hac Maximo impeditionem beatus Martinus ante predixit. Valentinianus recepto Italie potitus imperio est. Andragatius comes cognita Maximi nece precipitem sese e navi in undas dedit ac suffocatus est. Theodosius incruentam victoriam deo procurante suscepit. Victorem quoque Maximi filium, quem imperatorem pater Gallus in infantili etate reliquerat, extinxit. Igitur Valentinianus iunior cum in Galliam transisset ibique tranquilla re publica in pace egisset, apud Viennam dolo Arbogastis comitis sui strangulatus est atque ut voluntariam sibi conscivisse mortem putaretur, laqueo suspensus est. Quo extincto Armogastis tirannum cau̅ Eugenium eligens hominem cui titulum imperatoris imponeret, ipse acturus imperium, vir barbarus animi, consilio, manu, audacia potentiaque